



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Clementis XII. ab Anno V. usque ad X.

Luxemburgi, 1748

CCXXIV. Confirmatio, & Innovatio literarum Eugenii IV. circa transitus
Monachorum Ordinis Cistercien. Congregationis Portugalliæ ad alios
Ordines.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75393)

contrario-
rum.

CCXXIII.

Dignitatibus, & Canonicis nunc, & pro tempore existentibus Patriarchalibus Ecclesiæ Ulixbonen. conceditur licentia celebrandi, seu celebrari faciendi quotidie etiam per horam ante Auroram, & per horam post Meridiem unam Missam in privatis Domorum suarum existent. Oratoriis in sui, ac familia præsentia.

CLEMENS PP. XII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*Causæ con-
cedendi Pri-
vilegii.

§. 1. **I**n signem dilectorum filiorum Capituli, Dignitatum, & Canonicorum Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonen. Occidentalis, ordinem, cui non solum se. re. Clemens Papa XI. Prædecessor noster tot Ecclesiastica ornamenta, privilegia, & prærogativas ad instar nonnullorum etiam aliarum Cathedralium Ecclesiarum Sæcularium Canonicorum, & Abbatum Mitæ nunc habentium, Apostolica auctoritate sua contulit, verum etiam charissimus in Christo filius noster Joannes Portugalliæ, & Algarbiorum Rex Illustris præclara Sæcularis honorificentia gradus, & præminentie decora, bona, & congruentes redditus, quibus eam dignitatem cum debito etiam magnatum Regni honore conjunctam sustinerent, Regali liberalitate attribuit; Nos etsi non obscuris Pontificiæ beneficentiæ argumentis ad ipsius Joannis Regis supplicationem ad agere non omisimus, tamen novo etiam paternæ, quæ Dignitates, & Canonicos hujusmodi complectimur benignitatis testimonio orandi, cumulandique opportunam occasionem præterire non patimur.

Concessio,
de qua in Ru-
brica.

§. 2. Itaque tam dignitati, quam spirituali consolationi eorundem dignitatum, & Canonicorum quantum cum Domino possumus benigne consulere, eosque, & alios pro tempore existentes amplioribus favoribus, & gratis prosequi volentes, ipsorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, modernis, & pro tempore existentibus Dignitatibus, & Canonicis Patriarchalis Ecclesiæ Ulixbonen. Occidentalis prædictæ, ut in privatis Domorum sue habitationis in Portugalliæ, & Algarbiorum Regnis existentibus Oratoriis ad hoc decenter muro extructis, & ornatis, seu extruendis, & orandis ab omnibus Domesticis usibus liberis per ordinarios respective locorum prius visitandis, & approbandis, ac de ipsorum Ordinariorum licentia, unam Missam pro unoquoque die per semetipsos celebrare, sive per quemcumque Sacerdotem ab ordinario approbatum Sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia Regularem sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschalis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis in sua, ac consanguineorum, & affinium secum insimul in eadem Domo habitantium, familiaque, & quod Oratoria Ruri existentia, etiam in hospitum nobilium suorum præsentia etiam per horam tantum ante Auroram, & item per horam post Meridiem celebrari facere libere, & licite possint, & valeant, ac quilibet eorum possit, & valeat, itant nec ipsis, nec Sacerdoti taliter celebranti id ad culpam valeat quomodolibet imputari, auctoritate Apostolica tenore præsentium in perpetuum concedimus, & indulgemus.

Derogatio

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & or-

dinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod familiares servitiis suis tempore dictæ Missæ actu non necessari ibidem Missæ hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi Missam in Ecclesiâ diebus festis de præcepto minime liberi censeantur, quemadmodum etiam, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscator. die 22. Martii 1738. Pontificatus Nostri Anno VIII.

Dat. die 22.
Martii 1738.
An. VIII.

Confirmatio, & Innovatio literarum Eugenii IV. circa transitus Monachorum Ordinis Cisterciensis Congregationis Portugalliæ ad alios Ordines.

CCXXIV.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **E**manarunt dudum a se. re. Eugenio Papa IV. Prædecessore nostro quædam literæ sub plumbo tenoris sequentis videlicet. Eugenius Episcopus Servus Servorum Dei ad futuram rei memoriam. Regularem vitam professis sic decet omnem vagandi materiam, omnemque inquietudinis causam amputare, quod in eorum vocatione persistant, ac sedulum, & devotum Altissimo exhibeant famulatum. Sane pro parte dilectorum filiorum Patris Abbatis Monasterii Cisterciensis Cabilonen. Diocesis, & aliorum Cisterciensis Ordinis Abbatum exhibita nobis nuper petitio continebat, quod nonnulli Monaci dicti Ordinis alii videlicet melioris frugis ficto colore, alii vero, ut jagum obedientiæ, & salutaris medicinx effugiant disciplinam ad alios Regulares Ordines se divertunt, & ut in illis remanere libere possint, licentiam Apostolicæ Sedis in exquisitis coloribus satagunt obtinere. Nos igitur, quorum interest animarum providere salutem, & hujusmodi salubre remedium adhibere, eorundem Patris, & Abbatum supplicationibus inclinati, harum serie decernimus, & etiam ordinamus, quod nullus Ordinis prædicti professus ad alium quemcumque præterquam Carthusiensem Ordinem etiam prætextu literarum Majoris Penitentiarii nostri, etiam si in illis plena, & expressa de præsentibus mentio habeatur, absque ejusdem Patris Abbatis licentia speciali causam rationabilem, & urgentem, quare licentia hujusmodi concedi debeat, Nobis, & Successoribus nostris Romanis Pontificibus expresse, & specificè allegantis, audeat, seu præsumat quomodolibet se transferre.

Eugenius IV.
sub certis pa-
nis Ordinis
hujus Reli-
giosis transi-
tum ad quem-
cumque
alium Ordi-
nem præter
Carthusien.
interdixit.

Decernentes nihilominus contrafacientes eodem correctioni sui Abbatis, & dicti Ordinis omnino subesse, eosque transeuntes, & Abbates eorum ipsis ad alium præterquam dictum Ordinem Carthusiensem transeundi licentiam concedentes, ipso facto excommunicationis sententiæ subiacere. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, ac indultis quavis auctoritate concessis, vel concedendis, quæ quoad hoc nullius decernimus existere firmitatis, & contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre voluntatis, & Constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumperit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Florentiæ Anno Incarnationis Dominicæ 1439. Decimo sexto Kalen. Martii Pontificatus Nostri Anno Octavo.

§. 2. Cum

Eugenii Lite-
ra confir-
mantur a
Clemente.

§. 2. Cum autem, sicut dilectus filius moder-
nus Procurator Generalis Congregationis Portu-
gallicæ ejusdem Ordinis Cisterciensis. Nobis nuper
exponi fecit, quo literæ prædictæ usque adhuc
observatæ deinceps, non obstante quocumque
abusu, qui nuper in regularis disciplinæ detri-
mentum prodire cæperit, suum fortiantur effec-
tum; confirmationis nostræ patrocínio commu-
niri summopere desideret. Nobis propterea hu-
militer supplicari fecit, ut in præmissis opportu-
ne providere, & ut infra indulgere de benigni-
tate Apostolica dignemur. Nos igitur ipsum mo-
dernum Procuratorem Generalem specialibus fa-
voribus, & gratis prosequi volentes, & a quibusvis
excommunicationis, suspensionis, & interdicti,
aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis
a jure, vel ab homine quavis occasione, vel cau-
sa latis si quibus quomodolibet innodatus exiit,
ad effectum præsentium dumtaxat consequendum
harum serie absolventes, & absolutum fore cen-
sentes, hujusmodi supplicationibus inclinati,
præinsertas memorati Eugenii Prædecessoris li-
teras, cum omnibus, & singulis in eis respec-
tive contentis, & expressis quoad Monachos dic-
ti Ordinis Cisterciensis Congregationis Portu-
gallicæ, auctoritate Apostolica tenore præsentium
approbamus, & confirmamus, ac innovamus,
illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur
adjicimus, & quatenus opus sit ad Monachos
Congregationis Portugallicæ Ordinis Cisterciensis.
hujusmodi, dictæ auctoritate extendimus, &
ampliamus, & de novo ne moderni, & pro
tempore existentes Monachi Congregationis præ-
fatæ ad quemcumque alium Ordinem, seu Con-
gregationem, vel Institutum, a Sede Apostoli-
ca approbatum, præterquam ad illum Carthu-
sianorum etiam prætextu literarum ab Officio
Pœnitentiariæ Apostolicæ sibi concessarum licet
in illis plena, & expressa de eisdem literis men-
tio habeatur, absque Abbatis Generalis dictæ
Congregationis licentia se transferri possint, sub
eadem excommunicationis pœna, auctoritate, &
tenore prædictis interdiciamus, & prohibe-
mus.

Qui sic ubi-
que præcipit
servari.

§. 3. Decernentes easdem præsentis literas
firmas, validas, & efficaces existere, & fore,
suosque plenarios, & integros effectus sortiri, &
obtinere, ac ab omnibus, & singulis ad quos
spectat, & pro tempore quomodocumque spec-
abit inviolabiliter observari; Sicque in præmissis
per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos
etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac
S. R. E. Cardinales etiam de latere legatos judi-
cari, & definiri debere, ac irritum, & inane si
secus super his a quoquam quavis auctoritate scien-
ter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quibuscum-
que non ob-
stantibus.

§. 4. Non obstantibus præmissis, ac Constitu-
tionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon
omnibus, & singulis illis, quæ idem Eugenius
Prædecessor in suis literis præfatis voluit non ob-
stare, ac quatenus opus sit dictæ Congregationis
etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel
quavis firmitate alia roboratis statutis, & consue-
tudinibus, privilegiis quoque Indultis, & literis
Apostolicis in contrarium præmissorum quomo-
dolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Qui-
bus omnibus, & singulis illorum tenores, præ-
sentibus pro plene, & sufficienter expressis, & in-
sertis habentes, illis alias in suo robore perman-
suris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat
specialiter, & expresse derogamus, ceteris-
que contrariis quibuscumque.

Transumptis
fides danda.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem præsen-
tium literarum transumptis etiam impressis ma-
nu alicujus Notarii publici, vel Abbatis genera-
lis dictæ Congregationis subscriptis, & sigillo per-
sonæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ aut su-
pradiçti Abbatis, vel Congregationis prædictæ Se-
cretarii generalis munitis, eadem prorsus fides

ubique locorum, tam in Judicio quam extra ha-
beatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent
exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub
annulo Piscatoris die 27. Martii 1738. Pont. No-
stri Anno Octavo.

Decretum ut novæ Ædes ad Conventum B. M. V.
de Nive de Palazzola Ordinis Fratrum Minoro-
rum de Observantia constructæ nulli alio usui
applicari possint, nisi ad Hospitium Benefac-
torum ejusdem Ordinis.

CLEMENS PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **E**xponi nobis nuper fecit dilectus filius
Josephus Maria Fonseca ab Eboræ Ex-
generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci
de Observantia nuncupatorum, quod cum ipse ex-
pecuniis per suos Religiosos industriis labores,
ac per elemosynas a piorum Christianorum elar-
gitione sibi impetratis infusum ad summam fere
octoginta millium scutorum monetæ Romanæ
ascendentibus Conventum Beatæ Mariæ Virginis
de Nive de Palazzola nuncupatum Provinciæ Ro-
manæ ejusdem Ordinis paulo ante refici, in eoque
intra claustra, & in illius planis inferioribus, &
extra illud nonnullas ædes, seu mansiones con-
strui curaverit, quibus ipse Josephus Maria de
præfati ad sui usum, & commoditatem ponitur,
ut autem Ecclesiæ præfati Conventus, & præmis-
sa, quæ absolvenda sunt ad perfectionem perdu-
cere valeat, usum, & commodum dictarum ædium,
seu Mansionum ad sui vitam a Nobis concedi
plurimum desideret.

§. 2. Nos ipsum Josephum Mariam speciali-
bus favoribus, & gratis prosequi volentes, & a
quibusvis excommunicationis, suspensionis, & in-
terdicti; aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris,
& pœnis a jure, vel ab homine quavis occasio-
ne, vel causa latis, si quibus quomodolibet inno-
datus exiit, ad effectum præsentium dumtaxat
consequendum harum serie absolventes, & abso-
lutum fore censentes, supplicationibus ejus no-
mine Nobis super hoc humiliter porrectis incli-
nati, eidem Josepho Mariæ, ut ipse quoad vixe-
rit, & in quocumque statu, & gradu tam intra,
quam extra Ordinem prædictum semper, & quan-
documque extiterit, usum, & commodum dicta-
rum ædium, seu mansionum per eum tam in su-
pradiçto Conventu, quam extra illum construc-
tarum cum omnibus, & singulis suis membris, an-
nexis, & connexis auctoritate Apostolica tenore
præsentium concedimus, & indulgemus. Præterea,
ne post ejusdem Josephi Mariæ obitum ædes, seu
mansiones per ipsum, sicut præmittitur extra su-
pradiçtum Conventum ædificatæ una cum suis
membris, & annexis præsentis habitationi dicti
Ordinis benefactorum aliarumque personarum ini-
bi pro tempore adventantium occasione eorum
transitus, Hospitio tantum excipiendorum, & non
alteri cuicumque usui destinari, ac inservire de-
beant, nec ullus Conventus, & Ordinis præfatorum
Superior, aut Religiosus, vel quisquam quavis auc-
toritate, vel Superioritate, aut Officio fungens in
eisdem ædibus, seu mansionibus (præterquam ea
de causa) etiam prætextu Rusticationis degere,
vel quovis alio modo habitare possit, minusque
mulieres; & femine sexus personæ cujuscumque
status, gradus, & conditionis existant in ædibus,
& mansionibus præfatis pernoctare valeant,
aut ut ibi pernoctent permittere audeat, seu
præsumat, sub excommunicationis latæ senten-
tiæ Sedis Apostolicæ reservatæ, a qua nemo
nisi a Nobis, seu Romano Pontifice pro tem-

Dar. die 27.
Martii 1738.
An. VIII.

CCXXV.

Causa hujus-
ce Declara-
tionis; scilicet
nova
Constructio
Conventus,
& nonnulli-
um ædium
ei annexa-
rum.

Reservato
Constructio-
ni ædium
usu ad sui vi-
tam statu-
tur, ut in
eis impositi-
um famen-
nullo modo
pernoctare
possint, sed
Benefactorum
Hospitio
dumtaxat
debeant de-
stinari.